



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Inhaltsverzeichnis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

EPISTOLA  
IOANNIS PAPÆ III.

AD EPISCOPOS GERMANIÆ ET GALLIÆ.

- I. *Primum chorepiscopus quosdam  
temerarios olim iam damnatos  
arguit, quod nimium sibi sume-  
rent auctoritatis in impositione  
manuum.*      *I. post beatum Petrum sedem a-  
postolicam rexisse, idque traden-  
te sibi ipso Petro.*
- II. *Deinde monstrat Clementem*      *III. Tertio tradit, quanta cura  
atque sollicitudo illi subeunda  
sit, qui gregem Christi pascat.*

*Ioannes episcopus vniuersis per Germaniæ & Galliæ prouincias  
constitutis, in Domino salutem.*

**O**PTAVERAM siquidem, carissimi, pro nostri caritate collegii, omnes Domini sacerdotes in vna deuotione persistere, nec quemquam prohibita gratia aut fauore sacerdotum sectari, aut via recta discedere. Et quamquam credamus, dilectionem vestram ad omne opus bonum esse <sup>\* deuotâ,</sup> paratam, vt tamen efficacior fiat, congruum nobis visum est, literis sedis apostolicæ (vt antecessorum quoque nostrorum vestigia imitemur) vos monere, præcepta diuina & apostolicæ sedis instituta viriliter peragere, & prohibita non tangere, sed cauere: nec cuiquam liceat vnquam doctrinam patrum deserere, & sacerdotali honore gaudere.

I.

Perlatum est ad sedem apostolicam emerfisse, & de-  
nuo reuiuiscere prohibitum & funditus extirpatum tam  
a sancto Damaso, quam a sancto Leone, viris apostolicis,  
atque ab vniuersis synodali auctoritate episcopis, repre-  
hensibilem atque oppido inolitum vsum, eo quod qui-  
dam chorepiscopi ( qui & a prædictorum antecessorum  
sanctorum apostolicorum patribus & viris apostolicis, &  
ab ipsis, siue a nobis sunt prohibiti, sicut eorum hæcenus  
testantur decreta ) vltra modum suum progredientes,  
donum sancti Spiritus per impositionem manuum tra-  
dant, & alia, quæ <sup>\* solis</sup> solum pontificibus debentur, contra  
fas peragant: præsertim cum nullus ex septuaginta disci-  
pulis, quorum speciem in ecclesia gerunt, legatur donum

Soli episco-  
pi sunt mi-  
nistri sacra-  
menti con-  
firmationis,  
quam hic  
vocat ma-  
nuum im-  
positionem.